

RADNOR-SHIRE.



Erefordensibus anne&itur ad Occasum æstivalem Radnor-shire, Britannice Sire Maisseveth, forma triquetra, quanto magis in Occasum protenditur, in angustum magis magisque contracta. Ad Austrum Vaga fluvius Brechnochiensis discludit, ad Septentrionem adjacent Montgomeryenses. Pars ejus Orientalis & Australis cultior, reliqua montibus asperior vix ullo cultu mitescat, sylvis tamen satis vestita, profluentibus irrigua, & stagnis alicubi aspersa.

Illustrant Orientale latus, præter alia limitaneorum ducum castra suis jam ruinis fere involuta, *Castle Paine* à Pagano Normanno extructum denominatumque, & *Castle Colwen*, quod, nisi me fallo, olim *Castrum Matildis* in *Colowent* dictum. Illud enim admodum celebre, jurisque Roberti de *Todencio* viri prænobilis regnante Edwardo Secundo. Creditur ante ad *Breofos* Brechinæ Dominos spectasse, & à Matilde de *S. Valerico* fœmina procacissima uxore Guilielmi Breosa, qui rebellem animum in Regem Ioannem induit, nomen sumpsisse. Quod à Wallis dirutum, Rex Henricus Tertius de lapide & cæmento eleganter anno *CIO CCXXXI* re&ificavit. Sed præcipui nominis est *Radnor*, præcipuum totius pagi oppidum, Britannice *Maisseveth*, pro regionis more culmeis te&is satis elegans. Mœnibus autem & castro quodam tutum fuit, sed postquam Oënus ille *Glendowerdwy* seditiosus succendisset, sensim extenuatum elanguit, eodem fato quo mater sua *Old Radnor*, id est, *Vetus Radnor*, Britannice *Maisseveth bean*, & ab edito situ *Pencrag*, quam, regnante Ioanne, Rhesus Gruffini filius igni dederat. Si hanc *Maisseveth* fuisse MAGOS urbem dixerit, quam Antoninus MAGNOS vocare videtur, ubi (ut est in *Notitiarum* libro) Præfectus militum Pacensium sub Britanniarum Duce, Theodosii Junioris temporibus egit, à veritate, opinione certe mea, fortasse etiam aliorum, non descivero. Hujus enim tractus incolas MAGESETAS vocatos, Comitessque *Masegetenses*, & *Magefetesenses* apud mediæ ætatis scriptores legimus, distantiaque ratio cum à *Gobannio*, sive *Abergeuenny*, tum à *Brangonio*, sive *Vigornia*, vix tantillum ab Antonini dimensione discrepat. Vix tribus hinc ad Ortum milliariis *Prestaine*, Britannice *Lhan Andre*, id est, *Andreæ fanum* cernitur, quod è minimo viculo avorum memoria, opera Martini Episcopi Menevensis, in forum adeo celebratum, & in eam elegantiam emicuit, ut Radnoriam hodie quodammodo obscuret. A quo etiam vix quatuor mill. pass. abest *Knighon* Præstantiæ æmulum, Britannis, ut accepi, *Trebucl*, pro *Trefyclaudh*, à fossa subjecta, quam mirando opere ad disjungendos Britannos à suis Anglis *Offa* Mercius per hanc à *Devæ* ostio usque ad *Vagæ* per *LXXX* plus minus mille passus duxit, Vnde *Claudh Offa*, id est, *Offæ fossa* Britannice vocatur. De qua in *Polycratico* suo Ioannes Saris-Britannia.

burienfis, *Haraldus* legem statuit, ut quicumque *Wallo-rum* citra terminum, quem eis præscripsit, fossam scilicet *Offæ*, cum telo inveniretur, ei ab officialibus Regiis manus dextra præcideretur.

Post hoc quicquid ad Occasum, & Septentrionalem limitem adjacet, magna ex parte efœctum & jejenum, incolis *Melienith* vocatur, eo quod montes flavescant. Castrorum tamen plurima vestigia ostendit, præcipue vero *Kevenles*, & *Timbod*, quod acuminato colli affixum *Leolinus* Walliæ princeps anno *MCCLX* evertit. Hæc *Melienith* ad *Vagam* usque pertingit, qui Occiduum agri angulum transversum secat, & occurrentibus saxis fractus, subito solo destitutus præcipitatur. Vnde loco *Raihader Gowy* nomen, id est, *Vagæ Cataractæ*, & nescio, an inde hoc nomen *Radnor* primum universo agro, deinde primario oppido excuderint Angli. Castrum erat ad has *Cataractas*, quod Rhesus *Suthwalliæ* Principem sub *Richardo* Primo restaurasse legimus. Iuxta vasta est quodammodo solitudo itinerum anfractibus, & montium horrore pene formidolosa, in quam, utpote tutissimum perfugium se subduxit pestis ille patriæ *Vortigernus*, cujus damnatam Britanni velint memoriam, cum invocatis in hanc insulam Anglo-Saxonibus, & sua ipsius filia horrendo incestu sibi in uxorem accepta, nefariorum scelerum magnitudinem sera æstimatione perspexissent. Sed numinis telo volante, vindice igne cœlitus demisso cum urbe sua *Caer Gourtigern*, quam in præsidium sibi construxerat, deflagavit. Nec procul hinc, quasi hoc facti fuisset, non solum iste *Vortigernus* ultimus è Britannico sanguine Britannia monarcha, sed etiam ultimus è Britannico genere Walliæ Princeps *Leolinus* ex insidiis interceptus, anno reparatæ Salutis *MCCLXXXI* fatum complevit. Cæterum à *Vortigerno* regiuncula illa *Guortigermaw* *Ninnio* dicitur, necdum nomen intercidit: urbis vero ne memoria quidem nisi ex scriptoribus superest. Sunt qui existimant *Guthrenion* castrum ex ejus rudibus extitisse, quod anno *MCCI* Walli in invidiam *Rogeri de Mortuomari* solo complanarunt. *Guarthenion* etiam hæc regionis pars olim vocabatur, ut author est *Ninnius*, qui scripsit *Vortigernum* illum cum aperte & acriter à Germano illo Sancto admoneretur, non modo animum ad Dei cultum à vitæ pravitate non contorsisse, sed etiam calumnias in sanctissimum virum conterfisse. Quapropter *Vortimerus* *Vorgerni* filius (ut inquit *Ninnius*) pro illata à patre suo *S. Germano* calumnia, terram ipsam in qua Episcopus opprobrium tale sustinuit, in æternum suam fieri sanxit, unde & in memoriam *S. Germani* *Guarthenian* nomen accepit, quod Latine sonat calumnia juste retorta.

Mortuomarii sive de *Mortuomari*, qui Anglis *Mortimers* dicti, à nepti *Gonoræ* uxoris *Richardi* Primi Ducis *Normanniæ* oriundi, primi *Normannorum* magnam hujus regiunculæ partem fuso *Edrico* * *Sylvatico* Saxone sibi devicerunt. Cumque longo jam tempore inter omnes in hac regione emicuisent, tandem Rex *Edwardus*,
Ggggg Tertius

Castle
Colwen
Castrum
Matildis.

Matth.
Paris.

Radnor.

Owen
Glendowr
vulgo.
Old Rad-
nor.

Magi.

Magese-
tæ.

Prestaine.

Knighon.

Fossa Of-
fæ.
Offadike.

Melienith.

Raihader
Gowy.

Vortiger-
nus.

Leolinus.

Guarthe-
nion.

Guarth
Britanni-
ce calum-
nia, & E-
niam ju-
sta.

Comites
Marchiæ.
G. Gemit.
lib. ult.
cap. 16.
* Weald,
sive Wild,